



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Unius Necessarii pars ...**

Ubi agitur De Amore Dei - non in solis haerente contemplativis, & jucundis affectibus, sed parato, quidvis vel durissimum agere, & pati, si Deo id gratum fore videat: neque contento, plùs eum quibuscuncque aliis rebus amare, sed certo insuper, nihil omnino ex quibuscuncque rebus aliis amare, quod ...

**Rogacci, Benedetto**

**Pragae, 1721**

Cap. X. Ad divini amoris perfectionem requiri, ut non modò præcipuus, sed & unicus amor animæ sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54515)

obsequia mea esses; non tamē in fictitio isthoc  
eventu minori, quā nunc faciam, cum a-  
nimi fervore te amarem, tibi que inservirem.

## CAPUT X.

Ad divini amoris perfectio-  
nem requiri, ut non modò præ-  
cipuus, sed & unicus amor ani-  
mæ sit.

**N**on amat DEUM pro suo merito,  
qui eum juxta regulam ab eo  
præscriptam non amat *ex toto*  
*corde, ex tota anima, & ex omni-*  
*bus viriis suis*: neque ità ex toto se illum amat,  
qui alium quemvis à divino diversum amo-  
rem in suo animo fovet. Ità censuit D. Gre-  
gorius Magnus: particulam *ex toto* pro cu-  
jusvis alterius amoris negatione accipiens,  
quemadmodum illius verba declarant: (L.  
10. Mor. c. 3.) *Jubemur DEUM diligere ex to-  
to, ut videlicet, qui placere DEO desiderat, sibi de  
se nihil relinquat.* Ità Gregorius Nissenus:  
juxta quem (In Orat. de Laud. S. Basil.) *Qui  
omne cor suum, & animam, & mentem DEO  
dicavit, & ad nullam rem aliam earum, que per  
hanc*



*banc vitam expetuntur, propensus est, in supremo dilectionis gradu consistit. Ità D. Bernardus: quo auctore, perfectè DEUM amans ad nihil, nisi ad ipsum, & ad ea, quæ ipsi placent, affici potest. (Serm. 25. in Cant.) Qui adhæret DEO, unus spiritus est, & in divinum quemdam totus immutatur affectum, nec potest jam sentire, aut sapere, nisi DEUM, & quod sentit, aut sapit DEUS. Ità D. Augustinus: negans perfectum DEI amorem in anima existere, quoad ullæ in ea existunt affectuum diversorum reliquæ. (De Perf. Just.) Cùm est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod continendo frænatur; non perfectè, & ex tota anima diligitur DEUS. Unde etiam definit, tantum charitatem crescere, quantum decrescit cupiditas. (Qu. 36. ex 83.) Nutrimentum charitatis imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas: & in suis Confessionibus eundem hunc sensum coram DEO exprimit, dicens: (L. 10. c. 29.) Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Ità postremò S. Thomas: proprium esse hominis docens, qui perfectè DEUM amat, aliis amoribus nuntium remittere. (L. 3. c. Gent. c. 103.) Cùm mens vehementer amore alicujus rei afficitur, consequens est, quod alia postponat. Ex hoc*



*hoc igitur, quod mens hominis amore, & desiderio ferventer in divina fertur, in quo perfectionem constare manifestum est, consequitur, quod omnia, quae ipsum retardare possunt, quod minus in Deum feratur, abjiciat, non solum reram curam, & uxoris, & proli affectum, sed etiam sui ipsius. Quam doctrinam alibi quoque in haec verba repetit: sub praecipio charitatis continetur, ut diligatur DEUS ex toto corde. Ad quod pertinet, ut omnia referantur in DEUM; & ideo praecipium charitatis implere homo non potest, nisi omnia referantur in DEUM. (1. 2. q. 100. a. 10. ad 2.)*

2. Non ergo satis homini est, illum perfectissimum DEI amorem affectanti, plus creatis quibuslibet bonis, ipsoque adeo se amare, juxta tres à nobis jam expositos gradus. Neesse est, ut se adhuc ulterius extendat: neque contentus, naturales omnes suos affectus divino amori postponere; eosdem praeterea universos ab anima exturbare, quantum potest, conetur: quo nempe ille solus plenum ibi, & omnino pacatum, vacua quasi in aula dominatum exerceat: prout factum esse à D. Ignatio Loyola Canonizationis ipsius acta testantur: qui non solum custodivit cor suum ab iis, quae sunt contra dilectionem, sed etiam à se ipso amorem omnium rerum,

quo



quæ DEUS non sunt, prorsus abjecit, atque in eundem transfudit DEUM. Quia nempe, ut habemus Deuteronomii: (c. 4.) Dominus DEUS ignis consumens est, DEUS æmulator: &, quemadmodum Aaronis virga in colubrum versa devoravit (Exod. 7.) virgas omnes Magorum Ægypti; sic cælestis illius amor, ubi perfectus est, cæteros quosvis amores absorbet. *Quæ societas luci ad tenebras?* (2. ad Cor. c. 6.) clamat D. Paulus. Nimiùm quantum solis lux ab omni tenebrarum commercio abhorret, simul atque illa alicubi exorta est, necesse est omnes indè effugere. *Ejice ancillam, & filium ejus. Non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* (Ad Galat. c. 4.)

3. Neque, quòd facer DEI amor parvi ducat principem, ac potissimum se in anima esse, nisi & unicus sit, genio adscribi potest nimiùm superbo, ac penè tyrannico. Si sociari cum diversis à se amoribus renuit, sexcentas id agendi habet causas. Renuit primò, quia hominis anima non nisi in ipsius gratiam condita est: ac proinde, quemadmodum Rex justissimè potest exigere, nè quisquam alius in solio, sede nimirum unius Regis propria confideat; sic ille etiam jure optimo exigit, nè in anima, solio videlicet sibi

Q

uni



uni factò , atque debito , ullus ex profanis amoribus secũ resideat. Renuit secundò , propter conjurationes assiduas, quas ejusmodi amores contra ipsum struunt , nunquam cessantes jam aperta vi , jam per insidias ejus interitum , expulsionemque è suo regno moliri. Quapropter non satis est eos identidem castigare , frænisque , & vinculis coërcere ; sed tanquam genus omnino insanabile debent , ut de Chananæis olim DEUS jussit , ( *Numer. 33.* ) funditus , & ad internecionem deleri. Renuit præterea ob alia detrimenta , & incommoda , quæ necessariò ex illorum præsentia sibi imminet. Quamvis enim certus esse posset , nunquam futurum , ut ab ipsis in anima superstitionibus ex suo illo regno exturbetur ; non tamen cavere , & evitare sat potest , nè illius sibi possessionem imminuant , contendentes singuli aliquam inde partem sibi usurpare. Quos idcirco ille nequit socios in anima pati , quemadmodum DEI arca non tulit profanum Dagonem secum unà in templo esse , honoris , & cultûs , qui totus sibi uni debebatur , consortem. Renuit postremò , nè anima , ubi sedem posuit , terrenarum ejusmodi affectionum sordibus coinquinetur ; sed omni ex parte sit pura, nihil-



hilque in se habeat, nisi sanctum, cæleste, ac divinum. Quamobrem ità illam purgans non majorem ei vim facere, & exoptulandi occasionem videtur præbere, quàm sola æri, cùm tenebras ex eo abigit, omnique obscuritate deterfa, nusquam esse nisi lucidum patitur. Libeat, age, paulò accuratiùs, quanta singularum earum rationum æquitas sit, penetrare.

4. Et verò ad primam quod spectat, nemini esse dubium potest, quin res quælibet, cùm ad unicum finem à natura dirigatur, unicum itèm habere motum debeat: prout in corporibus fieri videmus, quorum gravia non nisi deorsum versùs, levia autem non nisi fursum versùs moventur: nempe quia illorum ibi, horum verò hìc natura finem constituit. Jam verò amor, princeps animæ motus, cæterorùmque omnium illius motuum est regula, adeò ut ex his nullus aliò ferri possit, quàm quò ab amore inclinatur, & rapitur. Cùm ergo rationalis anima nihil aliud nisi DEUM pro ultimo fine suo habeat; neque aliorsum, nisi erga ipsum ullo debet motu, sive amore suo tendere: argumentum luculentissimè patet, & ex eo non minùs luculenter colligitur, hominem, qui

Q 2

ter-



terrenam rem quampiam finè ullo respectu DEI amet, quemadmodum pro illius amoris sui fine haudquaquam DEUM, sed aliquid distinctum à DEO habet; sic illo in amore prærogativam finis, quæ DEI unius propria est, rei creatæ tribuere, juxta illud D. Augustini effatum: (*Tract. 10. in Ep. Joa.*) *Quidquid propter se queritur, ibi est finis*: mererique ideo, ut perversitatis hujus causâ idololatra quodammodo appelletur: quales non dubitavit D. Paulus vocare tum voluptatis, tum pecuniæ amatores, scribens de his: (*Ad Ephes. 5.*) *Aut avarus, quod est idolorum servitus*, deque illis, (*Ad Philipp. 3.*) *Quorum Deus venter est*. Cùm enim finis ultimi dignitas nulli possit nisi Deo convenire; perinde quodammodo est, creatam rem aliquam pro suo fine, ac pro DEO suo habere: & consequenter, cùm non aliud sit, objectum aliquod sui unius causâ amare, quàm idem pro ultimo fine illius amoris sibi proponere; tot planè idola, & commentitios Deos nobis effingimus, inque nostro corde adoramus, quot res creatas merè propter ipsas amamus. Quod consequens si mihi non videtur credendum, credatur saltèm D. Hieronymo, juxta quem: (*In Ps. 80.*) *Quotcunque vitia*  
 ha



habemus, tot recentes habemus Deos. Unusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est. Credatur Guigoni Carthusiano: qui cum constituisset ea, unde nihil utilitatis homini provenit, puta admirationem, reverentiam, & amorem unius DEI esse propria; (hæc enim eo ipso, quod ei, cui exhibentur, nihil profunt, ostendunt se ei soli deberi, qui nullo eget) inde eruit, si quis ulli extra DEUM aliquod ejusmodi vectigalium offerat, (prout facit, qui ea neque DEO, neque DEI respectu alteri offert) posse idolorum cultorem vocari. Quicumque ergo alteri, præterquam DEO, hunc exhibet cultum, verus idololatra est. (c. 6. & 8.) Credatur postremò (nè plures testes producam) D. Thomæ: qui super primo ex duobus paulò ante commemoratis Apostolice locis, ait, omnes, qui peccant, ponere finem suum in creatura, cui amore inhaerent: superque altero scribit: proprium DEI esse, ut sit ultimus finis. Unde, qui pro fine habet aliquid, illud est DEUS suus. Quæ cum ita se habeant, tam nemini DEUS potest videri nimium aliquid à nobis exigere, dum exigit, nè quid præter ipsum amore proprio finis, hoc est amore ipsi uni debito prosequamur, quàm dici non potest nimium quid poscere, dum poscit,



nè quid præter ipsum cultu Patriæ, hoc est cultu ipsi uni conveniente adoremus. Quapropter uti horrore nobis esset cultum Patriæ, quem DEI unius, tanquam suprèmi omnium Conditoris, & Domini esse proprium scimus, pecuniæ, voluptati, nobisque, aut alteri creatæ rei offerre; ita, cum amor quoque ultimi finis proprius DEO uni, tanquam bonorum omnium bono, & finis omnium finium debeatur, æquum est, ut perhorrescamus similiter ullum ex terrenis bonis, merè propter ipsum, & affectu, qui ibi suo quasi in fine subsistat, nec ad DEUM referatur, diligere. Claudat, instar coronidis, materiæ hujus tractationem D. Augustini auctoritas: qui, cum statuisset, neminem hominum debere à nobis propter se amari, subdit: (L. I. de Doctr. Chr. c. 22.) *Neque se ipsum debet homo propter se ipsum diligere, sed propter illud, quo fruendum est. Tunc quippe est optimus homo, cum totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vitam, & toto suo affectu illi inhaeret. Si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum, sed ad se ipsum convertitur, & propterea jam cum defectu aliquo se fruitur. Si ergo te ipsum non propter te ipsum debes diligere, sed propter illud, ubi dilectionis tuæ finis est, non succenseat alter*  
ho.



*homo, si etiam ipsum propter DEUM diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; DEUM vero ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Cum autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit; sed quidquid diligendum venerit, illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus carrit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat DEUM. Sic enim eum diligens tanquam se ipsum, totam dilectionem sui, & illius refert in illam dilectionem DEI, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.*

5. Præterea constat apud omnes, amorem divinū præferri saltè debere quibuscunque aliis rerum terrenarum amoribus: quod tamen fieri ab eo nequit, qui horum aliquem in anima residere patitur. Ubi enim duo ità contraria invicem sunt, ut non possint ambo simul consistere; sed alterum excludatur ab altero; nullo alio pacto præferre hoc illi possumus, quàm si hoc unum duntaxat velimus. Atqui amor divinus, & amores terreni, si sacris Doctõribus credimus,



mus, sibi mutuò repugnant, contrariàque omnino indole sunt, & conciliari invicem nequeunt. Tales eos nobis repræsented D. Augustinus, affirmans: (*Hom. 8. in illud Apost. Rad. Omn. Mal. Cup.*) *Radicem omnium malorum cupiditatem, & radicem omnium bonorum charitatem simul esse ambas non posse.* Tales D. Cyprianus, aut quisquis alius est author libri *de duodecim abusuum gradibus*, inter illius opera inserti: secundum quem (*c. 7.*) *Mundi amor, & DEI pariter in uno corde cohabitare non possunt: quemadmodum iidem oculi calum pariter, & terram nequaquam conspiciunt.* Tales D. Gregorius Magnus, quo teste: (*L. 18. Mor. c. 8.*) *Utrique se amores in uno corde non capiunt: nec in eo seges supernæ charitatis pullulat, in quo eam spinæ infimæ delectationis necant.* Tales D. Jacobus Apostolus, in Canonica sua Epistola scribens: (*c. 4.*) *Amicitiam hujus mundi inimicam esse Dei: perque legitimam consecutionem indè eruens: Quicumque ergo voluerit esse amicus hujus seculi, inimicus DEI constituitur.* Tales denique ipsummet Verbum divinum, per suam illam in D. Matthæi Evangelio sententiam: (*c. 6.*) *Nemo potest duobus Dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit,*



& alterum contemnet. Non potestis DEO servire,  
 & Mamonnæ. Nec difficilis intellectu secundum se ipsam hæc veritas est, si observetur, amorem pereuntium bonorum, puta honoris, voluptatis, pecuniæ, tendere per se ipsum ad ea sine ullo vetiti, aut permissi discrimine, ubivis, & quantum potest, quærenda. Cum enim ea appetat, quatenus merè honor, pecunia, & voluptas sunt; moralem eorundem conditionem, ceu aliquid à suo objecto diversum, minimè attendit. Quapropter, cum plurimi casus occurrant, in quibus talium bonorum usus divina lege interdicitur; consequens indè est, ut naturalis eorum amor sæpissimè ad peccatum, hoc est ad divini amoris interitum per suam vim, & propensionem feratur; quemadmodum probè animadvertit D. Thomas, docens: (2. 2. q. 189. a. 1.) *ab amore præsentium non solum impediri perfectionem charitatis, sed interdum ipsam etiam charitatem tolli: dum per inordinatam conversionem ad bona temporalia homo avertitur ab incommutabili bono mortaliter peccando.* Et quamvis ratio cæcum, & universalem ejusmodi terrenorum affectuum erga objecta sua impetum queat refrænare, atque interdum refrænet; ii tamen, sicut hoc libertatis suæ



frænum iniquissimè ferunt; sic summo viri-  
um nisu contendunt exuere, sécumque unà  
voluntatem eò rapere, quò à naturali instin-  
ctu, & pondere aguntur: ut proinde amor  
divinus in perpetuo extremi discriminis me-  
tu versari cogatur, nisi tam infensos, tam-  
que indomitos hostes funditus ex anima ab-  
egerit. Quibus responderi idem potest,  
quod Iphicrates Atheniensium Imperator  
Lacedæmoniis respondit, quodcunque po-  
stulâisset, pacatæ, amicæque voluntatis suæ  
pignus ipsi ultro offerentibus: nimirum, *non  
alia data fide se posse quiescere, nisi probarent se,  
quamvis vellent, nocere non posse. Non enim du-  
bium esse, quin vellent. Quoad igitur possent, iis  
fidem se habere non posse.* (Demost. in Or. contra  
Aristocr.) Denique nimis naturale est terre-  
nis amoribus suæ cum amore divino inimi-  
citiæ virus. Quamdiu in anima vivunt, ne-  
quidquam speraveris fore, ut desinant ei in-  
fidias, ac perniciem moliri. Qui salvum tu-  
eri illum vult, internecino eos bello perfe-  
qui debet, neque arma prius ponere, quàm  
omnino defecerint. Non fatis est, domitos  
aliquatenus, & subactos videri; exterminan-  
di, delendique penitùs sunt. Rectè Annæ-  
us Seneca: (Ep. 85.) *Tigres, leonésque nun-  
quam*



quam feritatem suam exuunt, aliquando submit-  
tunt: & cum minimè expectaveris, exasperatur  
territas mitigata. Non recipiunt animi mala tem-  
peramentum. Faciliùs susculeris illa, quàm rexe-  
ris. Nulla debent esse non parva: nam si ulla sint,  
crescent. Nemo certè, cui salus sua curæ est,  
induci se finet, ut eodem in conclavi cum le-  
one dormiat, quamvis mansuefacto, & vin-  
cto: præsertim si noverit, eum pluries nati-  
vam feritatem resumpsisse, abruptisque vin-  
culis, securos sui, & juxta accubantes letho  
dedisse. Quonam igitur pacto divini amo-  
ris suo in animo conservandi sollicitus dici  
poterit, qui minimè studet, eos affectus à la-  
tere procul arcere, qui ex naturali antipathia  
necem solent continenter moliri, temere  
confidens, vel non insurrecturos contra ip-  
sum; vel si fortè insurrexerint, vanos fore  
eorum conatus: quamvis cæteroqui experi-  
entia demonstrat, secùs omnino rem se habe-  
re, neq; ullà præterire diei horam, quin juxta  
D. Augustini observationem, (*Ep. 70.*) *Dum  
amantur vana, perpetrentur mala?* Næ adeò ne-  
gligenter illius conservationi prospicere  
non hominis est, qui dignè illum æstimet:  
neque tam incuriosi esse consuevimus in cu-  
stodiendis rebus singulariter charis, quas  
unus-



unusquisque non à certis tantummodo exitiis, sed & ab ancipiti quovis casu, & discrimine tueri, quantum potest, contendit.

6. Adde, quòd, qui eximiè aliquem diligit, non modò retineri ab amore illius naturaliter solet, nè alterum capitales cum eo inimicitias, & jurata odia exercentem eodem tempore amet; verùm etiam stimulari, ut eundem aversetur, inque hostium numero habeat, juxta illud Philosophi pronuntiatum: (L. 2. Rhet. c. 4.) *ii amici, qui eisdem amici, & inimici sunt. Eo enim pacto eadem volunt.* Unde Achilles Homericus pati minimè poterat, quòd Phœnix profiteretur sibi amicum se esse, cum Agamemnonem suum inimicum non odisset: (Iliad. L. 9.) *Neutiquam, inquit, te convenit istum amare, ut nè mihi inimicus sis, qui te amo. Decet te mecum eum ledere, qui me laeserit.* Quocirca, si DEUM plùs nobismet ipsis diligimus, sanctissimùmque ejus amorem vitâ ipsâ chariorem habemus, necesse enimvero est, ut detestemur, & proscriptos in perpetuum ab anima omnes eos affectus velimus, qui ob adversa utrinque ingenia, & toties necem ipsi intulère, & nunquam non conantur inferre, auscultantes D. Hieronymo scribenti: (Ep. ad Rust.) *Nisì oderimus*



malum, bonum amare non possumus: & Davidis exemplum sequentes qui contestabatur: (Ps. 138.) *Nónne, qui oderunt, te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Alioquin justam ei præbebimus causam nobis quoque exprobrandi, quod Josaphato Regi Juda ob initam cum sacrilego Achab societatem per Prophetam suum exprobravit: *Impio auxilium præstas, & iis, qui oderunt Dominum, amicitiam jungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris.* (L. 2. Paral. c. 19.)

7. Verùm fac amores terreni, qui cæteroqui verissima, minimèque dubia sunt causa lethalium quorumlibet criminum, nempe ut penitus extinguatur in anima, quotiescunque ibi extinguitur amor divinus, non valeant tantam ipsi cladem inferre; dubitari certè nequit, quin impedimento saltèm sint, nè justam consequatur perfectionis suæ plenitudinem; cum meridiana clariùs luce pateat, quantò plus ejusmodi cupiditatum in anima est, tantò minus divinæ charitatis existere: quantòque illæ magis decrescunt, tantò hanc majora capere incrementa, neque priùs ad totam perfectionem suam provehi, quàm illæ omnino defecerint. *Quæ est enim perfectio*

bo-



boni, ait Augustinus, nisi consumptio, & finis mali? Quæ est autem consumptio mali, nisi quod lex dicit: non concupisces? Omnino non concupiscere perfectio boni est, quia consumptio mali est. (Tr. 41. in Joa.) Quòd si aliquis prædicti impedimenti rationem scire avet, en illam ab Isaia allegoricis hisce verbis comprehendam: (c. 28.) *Coangustatum est stratum, ut alter decidat, & breve pallium utrumque operire non potest: quia videlicet, cum certum intrà modum coërceantur nostræ animæ vires; nequit hæc toto earum nisu pluribus simul objectis se impendere, quin, quantum virtutis suæ uni impertit, tantum alteri detrahat: instar amnis, qui quò plures in rivos diffunditur, eò tenuior in singulis fluit.* Idque admodum luculenter, nec uno in loco, à duobus iis humanæ Philosophiæ coryphæis, Platone, & Aristotele expressum habemus. Quorum prior libro octavo de Legibus definit: *Duo studia diligenter exerceri ab humana natura non posse: præcipiens idcirco, ut in civitate à se adumbrata nemo duas artes exercent, sed singuli singulis vacent.* Alter verò (L. 8. Eth. 6.) *fieri non posse, ait, ut multis quisquam amicus sit amicitiam perfectam, neque ut multos simul amet. Amor enim ingens ad unum spectare natu-*



*râ consuevit*: suum hoc effatum confirmans ; tum veterum amicitiarum exemplo, quarum celeberrimæ non inter plures, quàm duos extitisse traduntur ; (*ib. L. 9. c. 10.*) tum limitatione virtutis humanæ : *In cunctis siquidem imbecilla natura nostra in plurima pervenire non potest.* (*Greg. Mor. L. 2. c. 19.*)

8. Si ergo id constat, cum diversa tantummodo sunt objecta, & nullo invicem nexu conjuncta; quidni multò magis constare debeat, ubi eadem oppositionem inter se, ac repugnantiam ex natura sua habent; cujusmodi sunt hinc DEUS, indè bona mortalia? Quidni multò certius sequatur, quantumcunque amoris alicui horum impenditur, tantum ei, cui totus cæteroqui debebatur, subduci? Sequitur procul dubio, subdit Gilibertus Abbas. Si enim cor hominis *breve, & angustum est ad concipiendas DEI Verbi delicias, etiam cum in illas totum extenditur; quomodo non multò brevius, si ad alia fuerit protensum.* (*Serm. 2. in Cant.*) Atque utinam experientia non ostenderet, quàm certò, & universè id eveniat. Sed unde, quæso, in nobis oritur difficultas DEO intimè adhærendi? Unde tepor in eo amando? Unde tædium, & labor in conversatione cum illo diutiùs producenda? Unde tardi-



ditas, & tergiversatio ad hæc, aut illa opera, quæ ipsi grata sunt, peragenda? Unde, ut summam rem expediam, nostri omnes in illius famulatu defectus, & quidquid obstat, nè totos ei nos addicamus? Unde, inquam, omnia hæc proveniunt, nisi ex amore bonorum præsentium, quæ, quanvis minùs ipso, simul tamen cum ipso diligimus? Ità, ità planè res est. Nil dubitaverim cum Magno Ecclesiæ Doctore Augustino profari: parùm habemus de unguento, & melle tam suavi, quàm divinus est amor, quia profanis pleni amoribus sumus. (*Vide Tr. 2. & 4. in Ep. Joa.*) *Cùm exhausseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum. Vas es, sed adhuc plenum. Funde, quod habes, ut accipias, quod non habes. Bono implendus es: funde malum.* Non apprehendimus amore, qui est quasi manus animæ, DEUM summum bonum, quia manus hæc tota occupatur in comprehensione mortalium bonorum. (*Ex Serm. 15. à Sirm. additis, t. 10. post med.*) *Intendite amorem hominis. Sic putate, quasi manum animæ. Si aliquid tenet, aliud tenere non potest. Ut autem possit tenere, quod datur; dimittat, quod tenet. Qui amat sæculum, DEUM amare non potest. Occupatam habet manum. Dicit illi DEUS, tene, quod do. Non vult di-*



*dimittere, quod tenebat: non potest accipere, quod offertur.* Paucis, extráque allegoriam: exiguus, atque imperfectus in nobis amor DEI est, quia illum non ex toto corde diligimus: & ideo non ex toto corde, quia potissimam cordis nostri partem terrenarum rerum sibi amores usurpant.

9. Quid ergo? nónne indignissimum nefas hoc est in hominibus; qui ad divinæ charitatis perfectionem aspirant, nullo pacto ferendum, cùm DEUS illud *bonorum omnium bonum* sit, cujus amandi gratiâ conditi sumus, cùmq; illū, etsi totas exhauriremus animæ vires, amare nequeamus, nisi infinitè minùs, quàm exuperantissimæ illius amabilitati debetur; nè hunc quidem tam parvulum, immensisque illius meritis malè adeò respondentem amorem velle ipsi, quantuscunque est, offerre, sed inter alias, aliásque res creatas vix non totum dividere? Ah! qui ità se gerit, non modò non eum unum ex omnibus, sed neque plùs omnibus diligit. Cùm enim, juxta superiùs constituta, idem sit plùs omni re alia ipsum diligere, ac, quod gratius ipsi est, quibuslibet aliis rebus præferre, quemadmodum nemini esse dubium potest, quin & summopere gratum ei sit à nobis per-

R fe-



fectissimè amari ; & nos, cùm terreni aliquid boni propter se amamus, minùs perfectè eum amemus, quàm si totum nostrum amorem in eo uno colligeremus ; sic etiam nemo potest ambigere, quin si anima totum in DEO suum amorem non colligit, sed aliquam ejus partem in terrena itè bona derivat ; quod gratus DEO est cæteris rebus unversis, non præferat, neque DEUM consequenter cæteris rebus unversis plùs amet : ea saltem amoris exuperatione, in qua tertium, supremùmque ejus gradum posuimus. Nolite (inquit B. Joannes Apostolus) *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. ( Ep. 1. c. 2. )* Non est, repetere iterum, centièsque juvat, non est. Vel de morali virtute scripsit Seneca : *Locum spatiosum res magna desiderat. Expellantur omnia. Totum pectus illi vacet. ( Ep. 88. )*

10. Postremò, si quidquam occurrit in terris, quod æquè ac DEUS explere, locupletare, & perficere animas se amantium valet, ametur simul cum DEO. At si manifesta ratio demonstrat, nihil prorsus existere, quod comparari cum eo possit ; quidnam, rogo, jam suppetit causæ, cur in aliud quod-

vis



vis objectum derivare illam nostri amoris, atque temporis partem velimus, quàm tanto fructuosius in eo uno amando occupare possemus? Certè, etsi terrenarum rerum amor níl impedimenti nobis afferret, nè DEUM eodem tempore amaremus, & quidem tam perfectè, quàm si profano quovis amore vacui essemus; quid tamen aliud foret, præsentis vitæ bona simul cum DEO, nec propter DEUM amare; nisi amoris nostri nobilitatem deprimere, puritatem inquinare, suavitatem corrumpere? Efficiendo nimirum, ut ille, qui alioquin totus cælestis fuisset, luto commisceatur: qui merum nectar saperet, superfuso felle amarescat: qui perfecta unitate in se ipso constaret, monstrum evadat ex fortuita diversissimarum inter se partium aggregatione conflatum: quique in naturali suo centro, atque fine pacatus quiesceret; turbulento hac illac discursu feratur, *tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ?* Si juxta Christi Domini effatum: (Mat. 9.) novi panni segmen togæ veteri assuere parùm convenit; quantò minùs in recenti, nitidâque adhuc toga panni veteris, & longo usu decoloris additamentum conveniet? Discamus eja aliquando à Doctore Angelico, rati-



onalem animam, dum objectis inferioribus, cujuscumodi sunt terrena bona, per amorem conjungitur; nihil aliud assequi, nisi ut impura, & deterior fiat. ( 2. 2. qu. 7. a. 2. ) Impuritas uniuscujusque rei in hoc consistit, quod vilioribus immiscetur. Non enim dicitur argentum esse impurum ex permistione auri, per quam melius redditur, sed permistione plumbi, vel stanni. Manifestum est autem, quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus, & corporalibus creaturis: & ideo impura redditur ex hoc, quod temporalibus se subjicit per amorem. A qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id, quod est supra se, scilicet in DEUM. Discamusque consequenter, si quis velit amori divino, à quo supra se anima nostra extollitur, sociare amores terrenos, à quibus infra se deprimitur, perinde illum facere, ac si auro æruginem, regali purpuræ atramentum, florum areolis urticas, necessariò supervacuum, perfectioni defectus adjiciat.

II. Quæ cum ita sint, manifestò indè evictum relinquitur, DEUM esse amandum, non modò plùs terrenis omnibus bonis, sed finè ullo insuper ex hisce bonis: imò neque amari plùs iis omnibus posse, si eorum aliquod



quod simul cum ipso, & non propter ipsum ametur. Cum enim cujuscunque talis boni amor in eo uno, tanquam in suo fine subsistens, impedimento animæ sit, nè perfectè DEUM amet; qui modò alicui ex bonis terrenis per amorem adhæreat, nil pensi habet divini amoris perfectionem in se ipso impedire; haud certè illi bono, quantum posset, summâque omni exuperantia DEUM præfert. Quamobrem in sacris Literis expulsionem mali, ceu aliquid ad introductionem boni necessarium, passim nobis commendari videmus, uti i. Regum: ubi Samuel ab Israëlitis exigit, ut bona fide ad DEUM reverturi nihil idolorum superesse apud se patiantur: (c. 7.) *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum; auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth: & preparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Videmus in Prophetia Jeremiæ, qui memor, injunctum à DEO sibi fuisse, ut non minùs de evellendo, quàm de plantando cogitaret. (c. 1.) *Ecce, constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes;* monet suos auditores, ut ad fructuosè recipiendam divini Verbi sementem, affectionum terrenarum



spinis corda sua expurgent : ( c. 4. ) *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas.* Videmus in Epistolis D. Pauli tum ad Coloffenses, quos jubet novandæ in melius vitæ causâ derivatam ab Adamo vetustatem deponere, ( c. 3. ) *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum;* tum ad Corinthios, quibus idem præceptum per allegoriam aliam inculcat : *Expurgate, inquit, vetus fermentum, ut sitis nova conspersio.* ( Ep. 1. c. 5. )

12. Neque dissimilis sententia, & mens fuit sive Socratis, qui nusquam alibi totam reponerat institutionis suæ summam, nisi in purganda à pravis opinionibus, & sic veritati præparanda auditorum suorum mente; ( ap. Plat. in Thæet. ) sive Aristotelis, quo iudice: ( Eudem. L. 7. c. 19. ) *Præstantissimus animæ terminus est minimum irrationalem partem sentire,* sive Homeri, qui, prout observat Gellius, ( L. 2. c. 6. ) *Non virtutibus appellandis, sed vitis detrahendis, laudare ampliter solet;* sive Horatii, secundum quem, ( Ep. 1. L. 1. ) *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima stultitiâ caruisse;* sive Antisthenis: qui neque aliud magis necessarium esse ad Philosophiam dictabat, quàm *dediscere malum;* neque aliud ab



his requirebat, qui se illi tradere in discipli-  
 nam vellent, nisi *novum stylum, & novam ta-*  
*bellam.* ( *Laërt in ejus Vita.* ) Quod verò ad per-  
 fectionis Evangelicæ sectatores attinet, tanti  
 ad divinam amorem comparandum momen-  
 ti visa semper iis est affectuum terrenorum  
 expulsio, ut dici possint, plus studii, cona-  
 tûs posuisse in hujus instrumenti, quàm in ip-  
 siusmet illius finis inquisitione. Quò fit, ut  
 penè omnia spiritualis vitæ exercitia ad hanc  
 purgationem, libertatémque animi tendant:  
 neque aliud quidquam sæpius, & majori cum  
 verborum pondere præcipiatur, quàm avel-  
 lere animum à terrenis quibuslibet bonis, o-  
 mnes, qui à DEO non proveniunt, affectus  
 extirpatum ire, genio, illius cupiditatibus,  
 ac propensionibus ubique adversari, nun-  
 quam desinendo mortificationis falce has re-  
 cidere, quoad vel minima in animo eorum  
 radix superfit. *Omni sacrae functioni* ( scri-  
 ptum, testatúmque Dionysius Areopagita re-  
 liquit ) *communis hic finis est, intentissima DEI,*  
*divinarúmque rerum dilectio, & quæ hanc præit,*  
*omnium, quæ illi adversantur, exactissima, nec*  
*unquam retro aspiciens fuga.* ( *De Hier. Eccl.*  
*c. 1.* )

13. Et jure optimo id quidem: cùm enim  
 rationalis anima in DEUM, tanquam in su-



um ultimum finem, à natura dirigatur; fieri minimè potest, ut, quantum ex se est, refugiat, próque remolesta, & laboriosa habeat, illi per amorem conjungi: quin imò, juxta Cassiani observationem, summa cum facilitate, (Coll. 9. c. 3.) *Veluti naturali puritatis sue beneficio sublevata, levissimo spiritualis meditationis afflatu sublimatur ad superna;* impedimentum verò, & difficultas ex terreni alicujus amoris nexu provenit, quo quamdiu misella constringitur, nequit, nisi brevi, & statim relapsuro saltu veriùs, quàm volatu ad cælestem illam suam sphæram se attollere: avi persimilis, quæ licèt nata ad volandum sit, jucundissimùmque ideo, nedum facilem experiatur illiusmodi motum; si tamen visco, aut laqueo implicata detineatur in terris, non valet, quantumcunque cupiat, cælum versùs eniti. Quemadmodum igitur, ut hæc evolet, quò à naturali suo impetu rapitur, nil prodest sive hortatibus eam stimulare, seu de modo alas quatiendi edocere, sed unica auxilii ratio est, importuna visci, aut laquei retinacula ei detrahere: quo præstito, videre erit protinus quàm celerrimè in superna emicantem; sic ut anima in DEUM, cui uni facta est, toto cordis nisu feratur; nequaquam  
opus



opus est, multa illi præcepta, & artificiosas divini amoris methodos tradere; sed ante omnia curare oportet, ut à terrenarum affectionum vinculis expediatur. Hoc enim obice amoto, sinè aliis hortatibus, & regulis arcanas supremi boni sui illecebras confestim sequetur, inque illud non facillimè tantùm, sed & jucundissimè assurget.

14. Verum quidem est, vacuitatem omnimodam terrenorum quorumvis affectuum, ut libri hujus initio observavimus, ultra ordinarios fines esse humanæ virtutis; neque enim absque singulari divinæ gratiæ privilegio possibile animæ est, quamdiu mortali corpore includitur, usque adeò totam DEI esse, ut nulla unquam bonorum præsentium naturali cupiditate se affici sentiat. Alioquin unde essent, ait D. Augustinus, leviores culpæ, in quas nonnunquam incidunt, animique alienationes à multis DEO gratis operibus, quas identidem superare vel sanctissimi quique hominum debent? (L. 2. c. Jul. c. 10.) *Sinè peccato semper essemus, si sanaretur hoc malum concupiscentiæ, repugnantis legi mentis nostræ.* In summa, hæ sunt incircumcisæ illæ gentes, (Judic. 3.) *quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israël, & inter quas degat,*



necesse est, quisquis in præfenti vita DEO  
 fervit. Hic ille Jebusæus, quem (*Jos. c. 15.*)  
*non potuerunt filii Juda delere: quique ideo ha-*  
*bitat cum filiis Juda in Hierusalem usque in præ-*  
*sentem diem.* Obsistere quidem intestinis his-  
 ce hostibus possumus, possumus ingruenti-  
 um vim retundere, devictosque nobis subji-  
 cere; funditus de medio illos tollere, aut  
 ita perdomare, ut nihil jam nobis negotii fa-  
 cessant, neque nostram cum DEO necessitu-  
 dinem vel minimum interturbent, nullavi  
 possumus. *Difficile est hominem penitus exuere,*  
*excusatio Pyrrhonis Eliensis fuit, cum natu-*  
*ræ instinctu coactus fuisset adversus irruentis*  
*molossi vim se tueri, hoc est à sceptica illa,*  
*quam cæteroqui profitebatur, indifferentia*  
*discedere. (Laërt. in ejus vita.)* Et quid ipsum  
 loquor? Cum D. Paulum, vas electionis, &  
 Gentium Doctorem, quamvis raptus ad ter-  
 tium usque cælum fuisset, cælestemque in  
 terris vitam ageret; nihilominus expoſtulan-  
 tem audiamus, quòd nequeat suos omnes  
 affectus perfecta unitate in DEO colligere:  
*Sed aliam legem in membris suis sentiat, repu-*  
*gnantem legi mentis suæ, & captivantem se in le-*  
*ge peccati.* Tam altè in nostram naturam  
 hæreditarium primævi criminis virus descen-  
 dit,



dit, nullique adeò humanæ industriæ conatus illi penitus expurgando sufficiunt. *Multo labore sudatum est: & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.* (Ezech. 6. 24.) Haud tamen id obflare nobis debet, quin ad summam divini amoris puritatem nitamur, omnique cura, studio, & labore certemus, omnes affectus, qui ex DEO toti non sint, magis semper, magisque in animis nostris extinguere: quoad vel nulli jam supersint, vel ità debilitati, ut vix sentiantur, ac omnino deesse videantur: juxta Regii Vatis exemplar, qui à suis, Deique hostibus bello insectandis non se priùs destitutum profitebatur, quàm eos è medio funditus sustulisset. (Ps. 17.) *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant.* Præclarissimum sanè opus, quòdque uti difficillimas perfecti erga DEUM amoris exercitationes complectitur; ità ut alacriter suscipiatur, perseverantèrque urgeatur, non minùs, quàm heroicam animi generositatem, & virtutis contentionem requirit. Quapropter, cum adeò necessaria, tantique momenti res sit; illius nos materiam, & praxim in subsequendis deinceps capitibus explicare pergemus. Unde etiam patebit intima, & na-



naturalis cognatio, qua Christianæ virtutes universæ cum charitate, communi omnium Regina, tanquam illius effectus, vel instrumenta nectuntur: quàmque promptum unicuique sit illas omnes, sui hujusce universalis principii, atque finis respectu exercere: totam ità honestorum quorumlibet suorum actuum varietatem ad perfectum amorem DEI referendo, nempe ad unum illud necessarium, quò totus nostri hujus operis labor refertur.

## CAPUT XI.

Non excludi à puro, perfectoque unius DEI amore complurium quoque aliarum rerum amorem: dummodo hæ non merè propter se ipsas, sed propter DEUM potius amentur.

**N**ollem tamen minùs prudens quispian Lector, ex capitis præcedentis doctrina errorum occasionem fumeret: sive colligens, quò perfectè DEUM amet, omnem sui ipsius, & creatarum rerum amorem sibi esse ab-

di-